AZIONALE
I
ANUELE

6
21 f
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 I
19

iotheca
ll. Rom.
Jesu

Google

6–21 f 23

Digitized by Google

PEREGRINI SCARDINI

Sancticæſarienſis.

EPIGRAMMATVM CENTVRIA.

AD PERILLVSTREM

HIERONYMVM MARCHESIVM

IVRECONS. CLARISS.



NEAPOLI,

Apud Conſtantinum Vitalem. 1603.

PERILLVSTRI
HIERONYMO MARCHESIO
IVRECONS. CLARISS.

PEREGRINVS SCARDINVS.

CVLTVM epigramma ſcribere, res fuit etiam bonis temporibus difficillima. Quo enim breuius poema, hoc acumine, ingenio, ſale indiget maiore, & rarius accidere ſolet, vt idem omnibus placeat. Adde, quod

cum per paucis omnino verbis concludatur, ſimul concipitur totum, vt ſi quid erratum ſit, nullus detur veniæ locus. In opere magno fas eſt poetis ſomnum obrepere: hic niſi lecta fuerint verba, ſplendida epitheta, apta materia, concinnus dicendi character, nihil agas, fruſtra te iactes. Deterret ea res plurimos à ſcribendo epigrãmate ob diſplicendi metum: hortatur aliquos, qui ea ſolent libentius aggredi, quæ cum plus habeant in ſe difficultatis, digniora cenſentur, in quibus animi vires intendantur. Sed quod Cicero de toto genere dixit, licet profectò de ſcriptoribus epigrammatum affirmare, in horũ ſcilicet numero per raro exoriri aliquem excellentem. Quamobrẽ ego iure ſtultiſſimus iudicarer, ſi eam laudem hoc tempore ſolus, hac linguæ corruptela, hac bonarum artium labe me aſſecutum putarem. Cõcinnaui quidem quoad potui Centuriam hanc epigrammatum, & in lucem edidi, vt cum do-

ctorum

[stamp]

ctorum hominũ iudicia perſpexero, ad eorum rectiſſimam trutinã meum ingenium perpendens faciam quotidie melius. Eam autem ſub tuo potiſſimum nomine Marcheſi præſtantiſſime prodire volui, vt quod Opuſculum ego per elegans & pulchrum quoad eius fieri poſſet, apparere cupiebam, viro etiam per eleganti, & non corporis tantum, ſed animi pulchritudine ornatiſſimo dicatum legentium animos vehementius caperet. Fulcire libuit etiam meos labores tua maxima dignitate, quam tibi cum tua ipſius merita pariunt humanitatis, ingenij, doctrinæ, atque animi magnitudinis, tùm domeſtica; Hinc matris optimæ, & Illuſtriſſimæ Lucretiæ de Marra, de cuius probitate, & ſplendore ſilere tutius eſt quam pauca dicere, Hinc patris Fabij ex antiquiſſima, & nobiliſſima Vrbis Capuæ nõ minoris dignitatis familia: quem noſtra, & paulo ſuperior ætas tãquam iudiciorum dominum, legum oraculum, boni-

tatis exemplar admirata eſt. Multa ille quidem geſſit ad memoriam illuſtria, quę in ore ſemper futura ſunt omnium; & honores ſpernendo magis quam prenſando conſecutus eſt maximos; ſed illud fortaſſe præclarius, illud ad poſteritatis laudẽ vtilius quod te nobis reliquit imaginẽ ſui veram. Vtinam nunc ille viueret vt lætaretur te videns ad ipſius exẽplum de iure reſpondentibus doctiſſimè reſpondere, graues cauſas tàm fortiter agitare, vt vinci à te ſeniores interdum gaudeant, viam denique munire ad ſummos magiſtratus, quos ille tanto laudabilius meritus eſt, quanto fortius recuſauit oblatos. Verum alia erunt tempora de te dicendi, & de illo quæ debeo. Tu interim Hieronyme Humaniſſime, Neapolis pulcherrimæ clarũ ſidus, cui vbertim Virtutes, & Charites lumen infundunt, libenter meum quæſo munuſculum accipe, ac nominis tui ſplendore lætus illuſtra. Vale.

IO.

IO. ALFONSVS MASSARVS IVRECONS.

AD PEREGRINVM SCARDINVM.

DVM ſolers aliena canis præconia vates
Clarior alterius laudibus ipſe micas,
Laudibus Aeacidę ſic magnus ſplēdet Homerus,
Egregia Aeneæ ſic quoque laude Maro.
Virgilio maior Scardine, & maior Homero
Immenſum propria ſumis ab arte decus.

PHILIPPI ANTONII
LEONIS.

DIC mihi Calliope numen venerabile vati
Quid te in Parnaſſi vertice diua capit?
Delectāt me, muſa refert, epigrāmata centum
Scardini queis nil dulcius Orbis habet.

SCIPIONIS PVTEI VIVI.

ARDVA res epigramma ſolet Scardine videri,
Nec multis vnum ſæpe placere poteſt.
Nanq; alij verba, & flores ſectantur amœnos,
Hic pondus rerum, ſcommatis ille ſalem,
Fabula nonnullis arridet, priſcaq; multis
Hiſtoria in laudem ritè retorta virum.
Sed benè cunctorum retines tu corda libello
Hoc decies claudens carmina dena tuo
Queis neq; verborum flores, nec copia rerum,
Nec doctrinæ laus, nec charis vlla deeſt.

A

FRAN-

IPSE ſcriptorum Peregrine ſolers
Es quidem iudex: facis ipſe carmen,
Quale ad Eurotam cecinit ſilentem
Pulcher Apollo.
Lux noua ò vatum, Aonidumq; cura,
Ferrei ſecli decus atq; magnum,
Quis foret laudum tubicen tuarum
Commodus? & quis
Inueniretur fidibus canoris
Tam potens vnquam, ſuperiſq; gratus?
Teſtis eſt verax Helicon virenti
Fronde decorus.
Atq; Permeſſi vitrei fluenta.
Vena mi ſurgit tenuis Camœnæ,
Quid canam verſus? dolor & perennis
Impedit ora.

PEREGRINI SCARDINI

EPIGRAMMATVM CENTVRIA.

AD PERILL.
HIERONYMVM
MARCHESIVM
Iureconſ. clariſs.

MARCHESI eximio ſoboles digniſſima Patre,
Lux Phœbi, legum robur, & Vrbis honor,
Sume quod obſcuris mea Muſa coloribus artis
Pieriæ prorſus neſcia pinxit opus.
Exiguum renuens munus ſi magna requiris,
Grandem cũ tenui carmine ſume animum.

AD PHILIPPVM III.
Hiſpaniarum Regem.

SALVE cura Dei titulis Rex aucte ſuperbis
Cuius Belga timet nomen, & horret Arabs;
Aurea nunc verè ſi ſub te Principe Regna,
Credimus innocuos & rediiſſe dies;
Fac Aquilæ cadat vngue tuæ fera Parthica, mundum
Quo geminum tuta pace iuuare queas;
Sume arma, inuicti vincas vt facta Parentis,
Et tua magnanimum gloria obumbret Auum.

A D

AD RANVTIVM FARNESIVM
Sereniſſimum Principem.

EGREGII Patris imperio ſuccede Ranuti:
Te dignum tanto munere fama canit.
Mars ferus immani firmauit robore pectus,
Illud & inſtruxit victor ad arma Pater.
Iam tibi procudit victricia Mulciber arma,
Iàm tibi ſe comitem gloria præbet ouans;
Gaude, mille feres deuicto ex hoſte trophæa,
Subſcribunt votis numina ſancta meis.

AD AſCANIVM CARD. COLVMNAM.

SAT colis Heſperiam Princeps, nitidæque Columnæ
Sat cupit egregium Roma videre iubar;
Te ſine iam Latij gens nocte vagatur in atra,
Vt ſolet iratis naufraga puppis aquis.
Magne Heros redeas, redeant vt rurſus in Vrbem
Splendor, & antiquæ nobilitatis honor;
Quid deſiderio torqueris Roma? beabit
En te mox reditu pulchra Columna ſuo.

AD D. MARCELLVM AQVAuiua de Aragonia Hydruntinorum Archiepiſcopum.

DIVERSOS *vitreis effectus monſtrat in vndis*
Natura, Auſoniæ Magne Aquauiua Decus;
Hæc (mirum) tactis inducit marmora rebus,
Illa die medio frigida mane calet.
Eſt auro ſimilem quæ reddat pota capillum,
Eſt quæ Letheo membra ſopore ligat.
Maior Aquæuiuæ vis eſt, accendit amore
Potantem, & liquidum nectar in ore ſapit.
Teſtis ego, aſſuetus qui talem haurire liquorem
Iucundo felix torreor igne diù.
Et mihi, dũ prorſus carpat præcordia flammæ,
Demergi in medio gurgite dulce foret.

AD D. CAROLVM AVALVM.

CARLE *animoſe ferum, qui inuicto robore præſtans*
In terris Martem dura per arma refers,
Hydrunti vix ipſe venis metator in agros,
Et timet Adriacum Turca agitare fretum.
Auſpice te niueæ remanent ſpectacula Pacis,
Et belli ſubito feruida flamma cadit.
Auale quanta tibi debentur præmia, quando
Hoſtiles ſolo nomine frangis opes?

AD PHILIPPVM CAIETANVM.

SAT Caietane Aethereo te æquaret Olympo
Splendor ab antiquis qui tibi venit Auis;
At prorſus diuina tuis dùm concipis auſis
Maiorum metas tranſilijſſe iuuat;
Thebana Aonidum ſacris operoſus in antris
Neſcio quid maius pergis hiare lyra;
Hinc Siren quòd blanda melos bibit aure canorum,
Qua capit ipſa alios, ſe videt arte capi.

DE FRANCISCO CARAFA
Marchione S. Lucidi.

SI Stygia Alcides redeat de valle, Carafæ
Noſcat & indomitas ſæua per arma manus
Protinus exclamet, robur miratus, & ingens,
Inſignis quo ſe tollit in aſtra, decus,
Huius quas validè ſuperaui robore clauæ,
Quam melius poſſet dextra domare feras?

A D

AD D. HIERONYMVM DE Montibus Coriliani Marchionem.

VANA cohors fratrum gelidæ quid Pelion Oſſæ
  Imponis? vacuus non iuuat iſte labor.
Vt poſſes victrix nubes tranſcendere, montis
  Vertice debueras ponere caſtra mei;
Huius clara tenet culmen Dijs proxima virtus
  Rectũ, quæ ad ſuperos feruida monſtrat iter.
Sic non æthereis cecidiſſes icta procellis,
  Et quæ perpeſſa es tela, trophæa forent.

AD SCIPIONEM SPINAM
Lupienſ. Epiſcopum.

VT roſa, quæ ſpinæ ſupremo vertice gaudet
Vix benè dum patulis tuta rubere comis,
Audacem ſpinæ ſtimulis propellit acutis,
Ritè accedentem ſuauis odore rapit,
Haud aliter, ſi parua licet componere magnis,
Es tu ſpina malis, es roſa odora bonis.

A D

AD ADRIANVM AQVAVIVA.
Conuerſ. Comitem.

DVM vires Aquauiua tuas opponis, & arces
Solus ab Ionio caſtra inimica mari,
Debetur tibi palma duplex, quòd prouidus oẽs
Pellis & hinc fures, pellis & indè Scythas;
Gloria magna eſt; externas propellere turmas,
Non minor interna eſt furta fugare procul.

DE ALEXANDRO MAGNO, & Alexandro Turaminio.

CERNIS vt eximio ſolers natura decore
Pergat Alexandros aſſimilare duos?
Ille fero Mauorte ſatus nudo emicat enſe:
Hic Sophiæ genitus Pallade laude nitet.
Victor vterq; pari ſtudio ſibi ſubijcit orbem,
Hic tonat eloquio fulminat ille manu.
Illud inæquales reddit, magnus fuit alter,
Alter at aſſiduè maior in ora venit.

AD VRBEM NEAPOLIM
de D. Aloyſio Gattula.

MATER Aloyſij Siren complectere natum,
Cui matres vnquàm non genuere parem,
Diues opum naturæ atq; artis poſſidet vnus
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.
Dumq; notis animos permulcet mille canoris,
Se verè matris ſanguinis eſſe probat.
Felix ſorte ſua nimium ſit lætus vterque,
Ipſa quod es genitrix, ille quòd eſt genitus.

DE IO. THOMA SPINA.

INFERAT in Belgam toties licet arma rebellem
Itala ſiue manus, ſeu ſit Ibera Ducum,
Intrepide tamen ille fero ſeſe obijcit hoſti,
Audet & armatos frangere Marte globos.
Aſt vbi Lethiferum Spinæ ſemel excipit ictum,
Ingemit, atq; ſibi ſic periturus ait;
Conſule Belga tibi, iam pluſquam ſpicula mille
Spina ferit, quid ages? vel fuge vel morere.

DE HIERONYMO MARCHESIO, ET CAROLO NVCIO.

DVM nitet in Carli ſcriptis Marcheſius, vnus
Quem ſophiæ, & generis ſplendor in aſtra vehit,
Marcheſi Carlus dum fulget laudibus, vnus
Flumina qui cantu ſiſtit & ore feras,
Amborum mirata iubar, mirata decorem
Inſignem referet talia poſteritas,
Quàm bellè æternum viuat quo clarus vterq;
Alter ab alterius nomine nomen habet.

AD FRANCISCVM DE MARRA.

QVAE duo fœdus habent in te Franciſce perennè
Et certant nomen tollere in aſtra tuum,
Olim, qui ſacros humeros tibi velet, amictum
Sidonio tinctum murice iuncta parant;
Pulcher io gaude, nitidum quæ præbeat oſtrum
Altera erit virtus, altera nobilitas.



AD IO. BAPTISTAM MANSVM.

NVTRITE Aonidum iucundo nectare Manſe
Quem fouet in proprio culta Minerua ſinu,
Ingenij pennis confiſus in æthera ſcandis,
Arbitrioq; tuo ſidera clara notas;
Concipis & mundi motus, ſoliſq; quadrigas,
Rerum quæq; parens ingenioſa facit.
Aſt ego iampridem defixus lumina terræ,
Fortunæ experior noxia tela meæ.
Cedere & infelix cogor, ni vulnera ſanat,
Gaſpar Apollinei ſplendor, & aura Chori.

AD D. MARCELLVM AQVAviua dum Hidrunto diſcederet.

AD ripas Hydri triſtis dum conqueror, Echo
Sic gaudet voces ludificare meas,
Ergo nos iterum Marcellus, vt antè, relinquet?
Linquet, reſpondet; num properabit? abit;
Quis credat noſtras Aquiuiũ linquere terras?
Erras; accelerat? retulit hæc, celerat.
Diſceſſu immoriar? moriar; viduabor honore?
Ore; dolor pectus tangit, & angit, ait;
Quando huc adueniet? veniet; num murice ſacro
Diſtinctus? tinctus; ſic erit? inquit, erit.
Hic tacui, ſublime Poli quum læua tonare
Cœpit, & æternas terra creare roſas.

AD FRANCISCVM
Verrierium Ieſuit.

DVM rapis è Lethes Verreri gurgite Athenas,
Nec ſinis antiquum Romæ obijſſe Decus,
Argolica & Latia agnoſcit te lingua parentem,
Namq; hæc, delicijs creſcit, & illa tuis;
Vtraq; quum patrios luſus, voceſq; requirat,
Blandula in amplexus itq; reditq; tuos.
Tã bellas Pater haud genuit per ſæcula natas,
Tam bellum natæ non habuere patrem.

DE ASCANIO RAMIRO.

SI quærat quiſquam fuerit quàm dulcis Arion
Quùm medijs piſcem carmine mulſit aquis,
Audiat Aſcanium modulantem gutture voces,
Quæ recreant vires quæ rapiunt animos;
Imbibet aure melos, tùm dicet, cedat Arion
Seù canat ille ſalo, ſeù canat ille ſolo.

AD METELLVM CARACCIOLVM.

FORTVNATE puer fortuna fortior olim
Vt ſis, Virtutis mente reuolue decus;
Sirenum voces, & Circes pocula caute
Aufugias, molli nemo in amore ſapit.
Quin auidè mirãda vores quæ Muſa Maroni
Dictauit, linquas nec Ciceronis opus.
Ad mores quæcunque tibi Romana vetuſtas
Monſtrabit, referas, ſic didiciſſe iuuat.

AD CAROLVM NVCIVM.

DVM cantas hilares Sebethi ad fluminis hortos,
Ipſe vbi lætus Amor gaudet amore mori;
Cæleſti Aonides humectant nectare linguam,
Inſit vt in lingua nil, niſi dulce melos;
Hinc Carle, hinc Orbis miratur carmina, quę tu
Mollia mille facis, mellea mille canis.

AD CLAVDIVM SERIPANDVM IESVIT.

ET flores, & mella tuo ſub pectore claudis,
Claudi Aganippæus cui rigat ora liquor;
Sunt flores, virtutis odor, quem fundis vbique,
Sunt gratum Sophiæ dulcia mella, melos.
Quàm benè, quàm propriè nomen tibi conue-
nit vnus
Quòd Claudas Orbis quidquid honoris habet.

IN HORTOS D. MARCELLI AQVAVIVA.

PALLENTES violæ, fragrantia lilia flores
Et quoſcunque parit lætus Amoris ager;
Tuq; etiam frondoſa comis gratiſſima ſylua.
Pompa ſoli, Floræ gratia, veris honos
Perpetuum monſtrare decus ſi vultis, odoro
Hoc horto æterno vere micare decet;
Hic tepidi ſoles inſunt, hic limpidus aer,
Hic riguus viuæ defluit imber aquæ;
Et ſi quando furit Boreas, ruit Africus, horti
Exculti damnum non patiuntur opes.
Nam facies domini fœcunda gratior aura
Noxia cuncta fugat, florida cuncta facit.

AD GASPAREM CONDO.

HAEC tibi naſcenti cæleſtia dona parare
   Et Charis, & Pallas conſtituere ſimul;
Artes nata Iouis donat, Charis alma lepores,
   Munere quo geminas vincis vtroq; Deas.
O liceat potius Conditum dicere, quum te
   Condiat hinc Pallas, condiat indè Charis.

DE ALEXANDRO CONSTANTIO.

PRISCA domus, velut arbor, habet Cō-ſtantia ramos
Queis meritò Heſperidū cedit odore nemus;
Hanc, quæ paullatim ſe ſe infert ardua cælo,
Hinc nutrit Virtus, explicat indè Decus;
Arbor Alexandrū tulit hæc, qui germine pictus
Tam benè honore viret, quàm benè odore placet.

AD D. FERDINANDVM PANDONE.

SI mentis candore, chori Fernāde voluptas
Aonij, reuocas aurea ſecla ſenis,
Cur? ah? cur nomen ferro deducis ab aſpro?
Dic, ferri, cum ſis aureus, ecquid habes?
Aurea, ſi loqueris, blandæ modulamina linguæ,
Aurea, ſi dictas carmina quiſque putat.
Vis dicam, quando nomen tibi conuenit? aptè
Ferrea cùm tractas fortiter arma, cadit.
Tunc ipſe inuitto ceù natus Marte videris
Aureus eſſe minus, ferreus eſſe magis.

AD IO. BAPT. TOCCVM
Montis meleti Comitem.

ET genus, & virtus in te Baptiſta relucent,
Lucet vt auratum, ſole oriente, iubar.
Nam cæli, ſophiæq; vias inſignis auito
Sanguine dum luſtras, clarus vbiq; nites.
Viue diù, quando per te rediuiua decorem
Iam redit in proprium gloria, viue diù.

DE CAESARE ALDERISIO IVRECONS.

DICTA quid expoſcis tantùm male ſana vetuſtas
Delphica? parce, precor, noſcere vana cupis.
Quàm melius ſapit hæc ætas, dū vera requirit
Prona, quæ Aldriſius conſulit, aure bibit.
Hunc qui tàm ſcitè iuris ſenſa abdita pandit,
Fingit, amat, decorat, Pallas, Apollo, Charis.

AD FRANC. CARACCIOLVM
Ducem Aerolæ.

EXPRIMIS *eximio talem Caracciole vultu*
Phœbea qualis lampade ſulget honos;
Talis & egregijs dulcedo moribus extat,
In cæris qualem ſedula ponit apis;
Quid ſi te effingas ſimilem virtute parenti?
Nunc qui es Amoris honor, ſis quoque Martis amor.

SCIPIO AFRICANVS.

INTREPIDE medijs quam ſum tutatus in armis,
Quã ſoui exanimem, quã volui incolumem,
Immemor, & duri, quem cepi, oblita laboris
Roma in me fœta ſæuior angue furit.
I nunc, & patriæ credas; ingrata rependit
Pro pretio, exitium, pro auxilio, exilium.

CLEOPATRA.

DVM ſpectas Cleopatra feros exterrita morſus
Quos auidè membris vipera figit atrox,
Inuicta es, non victa, doces namq; ipſa veneno
Funera fœmineum ſpernere poſſe genus.
Viuis io poſt faia, potes quod fortis acerbam
Plus tolerare necem, quàm tolerare iugum.

NIOBE.

PHOEBE precor Niobe iā parce, ah ſtulta quid? olim
Imperio celebris dicta fui Niobe.
Sat fateor, ſuperum violaui numen, at ora
Pallida ſat lachrymis immaduere meis.
Parce precor, fletumq; mihi vel deme, vel atra
Funera ne poſſim cernere, deme oculos.

DIDO AENEAE.

QVO pellis fugitiue ratẽ, quo pergis abire
Naufragus æquoreis mox periturus aqs?
Nè fuge, ſed redeas hoſtis, non hoſpes Eliſæ,
Quò mihi me reddam, te mihi redde prius.
Ah? fugis, & ſolam, violato fœdere, nuptam
Deſeris; hæc merces? hæc in amore fides?
Siſte, precor, debes, quod reſtat, perfide tecum
Quãdo non es amans, ferre vt amatus, onus.

DE MARTIO CORIOLANO.

QVAM durè in patriam, patria quando exul abire
Cògeris, effrænus Coriòlane furis?
Opprobria vlturus Volſcos petis, indè minaris
Ciuibus excidium perniciemq; tuis;
Iamq; inſtas, cædemq; ſitis, cùm matre rogãte,
Quæ dextræ aptaras, deſeris arma pius.
Seù ferrum ſumis, ferrum ſeù ponis, vbique
Marti Romano ſanguine digna facis.

DE ANNIBALE.

AERIAS poſtquàm ſuperauit barbarus alpes
Ductor, & Auſonijs intulit arma focis;
Aſper & inſolitis quatiens terroribus Orbem
Romano tinxit ſanguine ſæpè manus;
Pertæſus vitæ, dum ſors ſucceſſibus obſtat,
Hunc indignanti protulit ore ſonum,
Italiæ nunc parta quies, nunc libera curis
Non trepidant armis corda latina meis;
Iam moriar, quando vitæ præcidere ſtamen
Nemo poteſt, præterquã Annibal Annibalis.

AD

AD IO. ANTONIVM MOSCHVM.

ARBORIS vt curuos exornant pendula ramos
Poma per Autumni tempora viniferi;
Vtq; coloratas inſignit gemmula veſtes
Quæ venit è rubris lucida littoribus;
Haud aliter Patriam decoras ſuauiſſime Moſche
Moribus, ingenio, ſanguine, corde, fide.

AD D. POMPEIVM DE CARDINE.

CARDINE corde ferox, & ſtirpè inſignis auorum.
Regius in roſeo cui nitet ore decor;
Doride te natæ in conchis aluere marinis,
Et cultæ Charitum compoſuere manus.
Quid mirum ſi in te cupidè ſua lumina figat
Quilibet, eq; tua pendeat effigie?

IN NVPTIAS D. HIERONYMI de Montibus, & Corneliæ Loffredæ.

TOLLE moras, accende faces, coniunge iri amore
Vno perpetuum corda Hymenee duo;
Præſtanti virtute viro Cornelia nubit,
Fauſto, quiſquis adeſt, omine dicat io;
Amborum ſine lite lares Pax aurea ſeruet,
Caſtus Amor thalamū, ſancta Fides animos.

AD D. MARCELLVM AQVAVIVA.

ME mea pauperies exilis & indiga rerum
Non ſinit in patrio poſſe manere lare;
Et me, dum ſtimulis huc, illuc vrget amaris,
Neſcio qua poſſim ſede locare pedes;
Tu, qui imitaris auum mores, & facta tuorum
Guttura dum vatum dulce Aquauiua rigas;
Iam mihi, quò valeam tuto conſiſtere portu,
Præuia tam dubio ſis Cynoſura mari.

AD CAROLVM SCHITVM.

AVDEAT ut nemo tecum contendere vates
Carole Pieriam docte mouere lyram,
Tale ſub Aonia carmen nunc concinis umbra
Quale olim mira luſerat arte Caſa.

AD ASCANIVM GRANDE.

DVM Belliſarij ſublimi carmine cantas
Laudes, quas poterit nulla abolere dies
Perpetuum ponis laudum tibi Grande tuarum
Templum, quod poſſit perdere nulla dies.

AD FRANCISCVM MAVRVM de Mario Zazerino.

IVDICIO *Marius quæ multo carmina ludit,*
Dictat Amor, condit Gratia, promit Honos,
Hoc duce Apollineos luſtremus Maure receſſus,
Muſa ſit ille tibi, muſa ſit ille mihi.

DE IO. BAPTISTA MARINO.

SIC *nitet vt Phœbum præſtet fulgore Marinus*
Aut ſi quid Phœbo clarius orbe micat;
Vnde iubar tantum? dedit hoc Latonius illi
Auratam quando ceſſit Apollo lyram.

DE FRANCISCO MAVRO.

AONIA Maurus quòd blandè præbeat arte
Certam animis vitã, dum putat eſſe parum,
Corpora Pæonia ſanat feliciter arte,
Et gemina geminum ſumit ab arte decus.

AD CONSTANTINVM CEVLVM
Iurecons. & Poetam.

MARCELLVM ſecli decus admirabile noſtri
Sat volui numeris ferre per aſtra meis;
Aſt auis in limo iampridem merſa paluſtri
Sparſit inargutos, voce ſtrepente, ſonos;
Tu, qui nunc Tityum remoraris Ceule cantu
Atq; ſitim Phrigÿ demis ab ore ſenis,
Cur illi tenero non plaudis carmine? plaude,
Et pro Caſtalio fonte Aquauiua fluat.

DE SCIPIONE PVTEOVIVO.

VT libet, egregij vates Aganippidos vndas
Cantetis, cantus fabula talis erit.
Proſilit è Puteouiuo iucundior imber,
Aethereum ſemper qui mihi nectar olet.
Veſtra alij quærant, huius dum flumina ſolus
Perpetuò potem, perpetuò ſitiam.

AD FABRITIVM MAROTTAM.

CARMINA, quæ ſcribis nimium limata Marotta
Sunt ne tua, an dictat Phœbus Apollo tibi?
Mellea, quæ profers arguto verba lepore,
Sunt ne tua, an dulcis ſuggerit illa Charis?
Ambigitur, quando verbis & carmine totus
Es numen, totus gratia, totus Amor.

AD IVLIVM CAESAREM CAPACCIVM.

NOMEN, *an eſt omen quod habes diuine Capacci?*
An potius numen dicimus eſſe tibi?
Quum capias ſcriptis hoïes, fera ſaxa lepore,
Fama orbem, patriam moribus, ore feras.
Credimus ætherea quod tu demiſſus ab arce
Nomine ſub celebri numen & omen habes.

AD PHILIPPVM ANTONIVM LEONEM.

SI teneros molli miſces cum carmine luſus,
Culte Leo Nemeſis crederis alter amans;
Aurea ſi bellè promis pede ſcripta ſoluto
Sunt, Arpinatem qui, rediiſſe, putent;
Obruta quid ſi iterum prodiret Roma vetuſta?
Inuida iure Nouis Roma vetuſta foret.

AD LATINVM TANCREDVM

Medicum, & Philoſophum.

OCCVPET obtuſos lethali frigore ſenſus,
Et ſecet extremum Parca maligna diem;
Si Tancrede obſtas truncanti ſtamina, vitæ
Defunctum medica quàm cito reddis ope?
Ecquis Phœbigenam tecum nunc cõparet? ipſe
Succo adimis ſemper funus, at ille ſemel.

AD IO. CLEMENTEM SARDIVM.

ATTONITVS vernantis opes miraris Hymetti,
Atque Hyblæ vario picta colore iuga?
Quid ſi nunc ſpectes imbutos nectare flores
Quos mira in numeris Sardius arte parit?
Deliciæ, exclames, valeant ſimul Hyblæ, & Hymetti
Et cum delicijs Hybla & Hymette vale.

AD

AD CHRISTVM NATVM.

BELLVLE lude puer, ride quoq; paruule matri,
Natum tuq; parens excipe læta ſinu;
En noua iam cæli rutilat lætantis imago,
Largius & dulci rore madeſcit humus.
At tu non rides, ſingultas, ipſaq; partum
Non gremio genitrix blanda, ſed ægra fouet;
Ah dolor, ægra fouet, gelidum dum conſpicit antrum
Et plorat natus dum mea damna videt.



AD DIVOS INFANTES INNOCENT.

QVIS furor effrænus, rabies queuè effera matrum
Abripit ex vlnis vos pueri innocui?
Vos, ah! vos video lachrymis, & ſanguine tinctos,
Vulnerat hinc miles, plorat & inde Parens;
Voce Parens inſtat, vi miles, pugnat vterque;
Alter victor obeſt, altera victa dolet;
At tu læta cohors infantum, quæ vbere rapta
Rides, nec ſæua cuſpide læſa times,
Felix ſorte tua, riſu petis æthera, cum ſis
Bellula ſi exoreris, blandula ſi emoreris.

AD

AD MARIAM VIRGINEM.

COR tibi cum tabula Scardinus dedicat, at tu
Virgo beata libens cor animumq; cape;
Dumq; noui ingreditur ſubmiſſus limina tẽpli,
Lætitia mentem tu quoque tange noua;
Fauſta adſis, humilẽq; tui ne deſere amantem,
Sed monſtra mater pulchra ſalutis iter,

AD DIVAM MARIAM MAGDAL.

SICCINE quæ dudum fueras benè cœpta repentè
Deſinis auratis ire ſuperba comis?
Siccinè diſtincta gemmis procedere palla
Et ceſſas liquido ſpargere odore genas?
Quid ſibi vult ſolitum facies mutata colorem?
Lumina, dic tandē, quid pudibunda volunt?
At ſcio, dum Chriſtum ſequeris pompam abijcis omnem,
Scilicet hæc vera ars, velle ſine arte Deum.

DE TEMPLO CL. REG.
quod lupijs colitur.

ASPICIS immenſo ſurgentem pondere molem
Athereis quæ nunc eminet æqua plagis?
Mentem cerne virum potius, queis conditur ædes
Ardua quàm ſuperet ſydera fixa polo.
Par domus vt fieret, dices, cultoribus, alto
Pro Templo poni debuit Aula Dei.



AD DIVAM MARIAM MAGDAL.

SICCINE quæ dudum fueras benè cœpta repentè
Deſinis auratis ire ſuperba comis?
Siccinè diſtincta gemmis procedere palla
Et ceſſas liquido ſpargere odore genas?
Quid ſibi vult ſolitum facies mutata colorem?
Lumina, dic tandē quid pudibunda volunt?
At ſcio, dum Chriſtum ſequeris pompam abÿcis omnem,
Scilicet hæc vera ars, velle ſine arte Deum.

DE

DE TEMPLO CL. REG. quod lupijs colitur.

ASPICIS immenſo ſurgentem pondere molem
Athereis quæ nunc eminet æqua plagis?
Mentem cerne virum potius, queis conditur ædes
Ardua quàm ſuperet ſydera fixa polo.
Par domus vt fieret, dices, cultoribus, alto
Pro Templo poni debuit Aula Dei.

AD IACOBVM METTOLVM IVRECONS.

SOLVERE nodoſi latebroſa ænigmata iuris,
Intrepida trepidos voce iuuare reos.
Aequato trutinæ penſare examine cauſſas,
Virtutis ſolida mente agitare decus,
Munere iure tibi diuino contigit vni
Mettole Pierij lumen honorq; Chori.

IN OBITVM PHILIPPI II.
Regis Hiſpaniarum.

OCEANI poſtquàm calcauit claſſibus vndas,
Imperiumq; poli margine clauſit ouans,
Mille auctus ſpolijs tandẽ ſuper aſtra Philippus
Scandit, vt æternæ tempora pacis agat;
Inde à ſe fractos Reges, geminoſq; ſubactos
Aſpiciens Orbes talia lætus ait,
Præterij rerum metas, vici omnia ſolus,
Quid remanet, reliqui quod ſuperare queãt?

IN OBITVM ORATII LANOIDÆ
Sulmonæ Principis ad Neapolim.

BELLORVM ſtrepitus, læthalis ſemina peſtis,
Atra fames, Populi cæcus in arma furor,
Haud ſic humanas vnquam potuere repentè
Horribili mentes ſollicitare metu,
Vt te, Parthenope infelix ſine fine dolentem
Lanoidæ terret mors inopina tui.
Damnum docta pati ſuperaſti mille ruinas,
Nunc cadis; & miſerè ſemiſepultà iaces.

IN

IN FVN. IO. FRANCISCI Aldobrandini Roma.

ET quis te rapuit terris Franciſce propago
Heroum, belli fulmen, & Orbis amor?
Quæ te vis ſubito potuit proſternere fati,
Vt cadat Italiæ quidquid honoris erat?
Te gemit vndāti lachrymarum gurgite virtus,
Optat & hoc tecum funere poſſe rapi;
Te vocat, & meritò, ſciſſis Bellona capillis,
Vixit, te viuo, te pereunte, perit.
Tu patere, vt veluti quæſiti ex hoſte triumphi
Perpetuò famæ ſunt monimenta tuæ,
Sic lugens quæ mœſta traho ſuſpiria corde
Sint damni æternum ſigna futura mei.

IN FVNERE EIVSDEM.

DIC cuius tumulus? radiantia protinus arma
Si ſpectes, Martis dixeris eſſe feri.
Dic cuius tumulus? Romæ ſi noſcis amorem
Crede quod hac Romæ mole quieſcat Amor;
Dic cuius tumulus? Virtutis, mœſta triũphos
Et ſpes hic omnes condidit illa ſuas;
Cur moror? Aldobrandini eſt hæc vrnula, qui cum
Mars, Amor, & Virtus vna obiere nece.

IN FVNERE FERDINANDI de Caſtro Lemens Comitis.

F*VNERA qui curas Fernandi in fronte ſepulchri*
Pone arma, & Caſtris parta trophæa nota;
Cur hæc? tractauit ferrum dum vixit, & acer-
Aethereo potuit Caſtra locare polo. *(mis*
Nunquid & hic abijt victor? ſic, dic quibus ar-
Victrici eſt auſus bella mouere manu?
Pro ferro, Pietas; pro Caſtris, aſtitit altum
Conſilium, huic iunctus Religionis amor.
Quas duxit turmas? virtutes. præmia tandem
Quæ cepit fida cum legione? Deum.
Vix hæc, quum ſurgit moles operoſa ſepulchri,
Et tercenteno lumine buſta micant.

IN FVNERE EIVSDEM FILIVS alloquitur Patrem.

MI pater ah moreris ſine me? nec te vlla relicti
Cura ſubit nati? mi pater ah moreris?
Te ſequar, an viuam? ſequerer ſi abrumpere vitam
Inuiſam poſſem nunc mihi morte magis;
Tunc comes hærerem lateri, quæq; hora repetè
Diſiungit viuos iungeret exanimes;
Hiis & cæſa notis eadem foret vrnula, natus
Hic iacet ante diem raptus amore patris.

IN OBITVM PORTIAE Gueuaræ Neapolis.

PORTIA te toto ſuſpirat pectore Siren,
Et deſiderio ſaucia dicit, vbi es:
Portia vbi es? mihi cur atrata in veſte dolenti
Iam non aſpiras, ſpiret vt hæc anima?
Oris pāde iubar, pande altera mater Amorum
Lumina, queis victus Cynthius erubuit.
Ah tu non audis, ſed morte abſumpta recedis,
Et me flebilibus linquis in exequijs.

IN OBITVM PORTIÆ CARRAFÆ.

PECTORA Mors niueo Carrafam perdere vultu
Vidit, & inuidiæ labe peruſta furit;
Dum cupit vlciſci, telum arripit, aſt vbi cernit
Os roſeum, trepido ſic mouet ora ſono,
Auroram, an Venerem video? ni fallor, imago
Non eſt humanæ conditionis opus;
Hæret & incerta an violet ſacra lumina, fortè
Euolat ex arcu dira ſagitta, ferit;
Ah quantum exuuijs, patefacto errore, ſuperbit
Impia, quæ rigida talia voce refert,
Inſidias oculis quiſnam vitauit in iſtis
Fallere tàm vigilem ſi potuere Deam.

IN OBITVM IO. THOMAE MASTRILLI.

DVM properas Maſtrille polo noua ſtella micare,
Res alias alijs diuidis immoriens.
Exuuias tumulo, lacrymas partiris amicis,
Iacturam Patriæ, linquis in orbe Decus.
At Cyro ſæuum ſeruaſti vulnus, vt æger
Perpetuò doleat, perpetuò lacrymet.

IN OBITVM D. VINCENTII de Montibus.

TV nè iaces animoſe puer? puer inclyte tu nè
Ceu roſa, quæ folijs immoritur, moreris?
Pectore creſcebas Vincenti inſignis, auorum
Nunc primũ aſſueſcens mente agitare decus.
Gaudia ſed ne durarent vix orta, repentè
Te nobis adimit præcipitata dies. (git
Heu niueas, quæ mane genas tibi purpura tin-
Veſpere fit pallor languidus, & gelidus.

IN OBITVM OCTAVII CALFI Medici, & Philoſophi.

DVM gemit inſolito tellus ſubpondere ſacros
Non audet cineres claudere Scalfe tuos.
Namq; haud ſolus abis, rapiũtur funere tecum
Phœbus, Amor, Virtus, Muſa, Minerua, Charis.

AD VRBEM LVPIAS DE obitu eiuſdem.

FLVCTIBVS *aduerſis triſtatur nauita, amicum*
Cui negat in medio gurgite ſidus opem.
Pabula quum vigili cuſtode orbata pererrat
Ora lupi imbellis ſicca veretur ouis.
Abſq; duce externis mœret nouus aduena terris,
Et timet ignoti damna ſubire loci;
Sic tibi, dum Scalfum mors importuna repentè
Eripit infelix Luſpia iure doles;
Ingemit & tecum Virtus exterrita funus
Dilacerata genas, dilaniata comam.



IN

IN OBITVM FABII MAR-CHESII IVREC.

ERGO ſata queunt de mundo tollere Solē,
Sumere & in celebres horrida tela viros?
Ah dolor, inuoluunt Orbis decus omne tenebris,
Aurea dum Fabij ſtamina dura ſecant;
Is potuit rigidi, vix vlli cognita, iuris
Et ſophiæ miris ſenſa aperire modis.
Sed quid? nec virtus, nec doctæ copia linguæ
Proficit; obſeruant quem ſtatuere diem.

AD ALEXANDRVM TORALLIVM.

SEV vigili verſas Taciti monumenta lucerna,
Seu condis lepido ſcripta latina ſale,
Seria Alexander memori ſub pectore ſeruas,
Et nunquam, promens grandia ſerpis humi.
Magna placent, maiora cupis, patriaq; relicta
Hinc eſt, quod Romæ tecta ſuperba colis.

AD VINCENTIVM MARTENAM.

GRAMINA cæruleo viridantia gurgite ceruus
Paſcet, & in montis Phoca marina iugo;
Aethereum curuo ſcindetur vomere cælum,
Ducet & in terra menſtrua luna rotas,
Infixum medijs quum te Martena medullis
Non teneam ob mores ingeniumq; tuum.

IN OBITVM ASCANII A CARACCIOLI.

QVVM datur Herculeos animoſe ferre labores,
Ah dolor, infauſto fortis ab enſe cadis;
Heu quæ mœſta tuis moriens ſuſpiria linquis:
Cum matre inſanit pene dolore pater.
Sed tu nunc vulnus tantum lethale, parentes
Mœſtitiam, damnum percipit Auſonia.

IN OBITVM BRIGIDAE PIZZINARDAE.

CONSVLAT vt natæ, vitam dùm Brigida ſpernit,
Eligit in medio partu animoſa necem.
Quam ſimul egregiè patitur formoſa virago,
Talia Romano ſanguine digna refert,
Plus mihi, quàm venter pariunt nũc funera, prolem,
Ille dat, hæc nullo tempore poſſe mori.

AD PETRVM ANTONIVM de Ponte Cl. Reg.

EX agro cordis ſteriles dum tollis auenas,
Fruſtrari ſegetem quæ potuere meam
Semina cæleſtis cultor diſpergis, & illa
Reſpondent votis vberiora meis.
Diuino ò quando fructus iam pullulat intus
Aſſiduè ſulcos ſedulus imbre riga.
Lætus ego appēdam ſpicas quum ſtabit opima
Meſſis, & hos verſus parua Tabella dabit
Scardinus tibi Petre refert quòd reddat abundè
Semina cum magno fœnore cultus ager.

AD EVNDEM.

VT libet Iſmarij iactet miracula vatis
Gens priſca, & quidquid fabula vana refert;
Temporis eſt noſtri iam maior gloria, cedunt
Thræiciæ nobis plectra canora lyræ.
Orpheus Diti animam ſonitu teſtudinis vnam,
At Petrus lingua nectare mille rapit.

AD LEONARDVM PRATVM.

FLOREM nomen habet, pratum cogno-
gnomen, vtrumq;
Aptum iure illi dixeris impoſitum;
Nāq; nitens fama, genere, & florentibus auſis
Fulget & in Pratis, floret & in Patria.

AD

AD CAESAREM PRATVM.

EXTARENT iterum ſi auratæ vellera pellis,
Finderet & dubium prima carina mare,
Fortior Aeſonide Colchos tu primus adires
Cæſar, & Heroum gloria prima fores;
Ipſe etenim ſuperare potes cũcta ardua, virtus
Vrget, & immenſum dat tibi robur honos.
Et quando te ipſum vincis iuuenilibus annis,
Hoc vno maior Cæſare Cæſar eris.

DE PVLCHRITVDINE Vrbis Neapoli.

PARTHENOPES *læti colles, & amœna vireta,*
Et fortunato tecta locata ſitu
Si nunc Roma vetus veſtros ſpectaret honores,
Admirata decus, talia voce daret,
Gloria quæ nã hæc eſt? ſeptem vos cedite colles:
Nil orbe in toto pulchrius Orbis habet.

AD V[illegible]

Q[illegible]
[illegible]
Erigis [illegible]
Condita [illegible]
Haud [illegible]
Credibile [illegible]
Tàm belle [illegible]

DE GABRIELE ZINANO.

FLORENTI *ingenio, & linguæ munere clarus*
Quæ Zinanus agat diſcere nunquid amas?
Aut docet imperij normam verſatus in arte
Palladia, & dignum Principe condit opus;
Aut dū Theſpiadum ſacris ſpatiatur in hortis
Carminibus doctè ludit amabilibus.

AD FRANCISCVM PYRRONVM Medicum, & Philoſophum.

BIS me viciſti, fateor, Franciſce medentū
Et decus, & columen, biſq; ligas laqueo.
Aggrederis primum donis poſt gratior inſtas,
Et tollis medica gutturis arte malum.
Sit, licet, Herculeus, nodum tamen explico, vt vnus
Non intermiſſus cuncta rependat Amor.

AD NATALITIVM MONTESANVM.

SI quæ alibi fuerant olim Natalis amœni
In te ſunt hodie ſacræ Heliconis aquæ,
Debemus cuncti (liceat modo vera fateri.)
Te pro Monteſano dicere Monteſacrum.

AD SCIPIONEM SPINAM Lupienſ. Epiſcopum.

ADRIACAS propè triſtis aquas grex arida lentè
Pauit in incultis gramina nata rubis;
Namq; bonus longo ſenio confectus Amintas
Vix poterat tenui voce fugare lupos.
Iunior at poſtquam cuſtos ſucceſſit, & ægras
Syluarum Tyrſis gloria viſit oues,
Gaudia balatu læti cum matribus agni
Teſtantes, paſti lacte fuere nouo.
Et rupes, ſiluæq; ſimul vaga flumina plauſu
Ingenti Tyrſim ter ſonuere ſuum.

AD EVNDEM.

RAMOSA *Alpino fundata cacumine quercus*
Ventoſo Boreæ flamine non rapitur.
Muſcoſus rauca ſcopulus madefactus ab vnda
Permanet, & maius tempore robur habet;
Quid mirum, niſi mutor amans bone Scipio, cum ſim
Fortior & quercu, firmior & ſcopulo?

IN VENEREM MARMOREAM.

TAM bellè ſculptos niueo de marmore vultus
Qui nunc blanda venus mente carere putē?
Ingenioſa nimis fabri manus, æmula quando
Naturæ viuam reddidit effigiem.
Motus abeſt tantùm, namq; hunc tibi pulcher Adonis
Eripuit, rapuit quando oculis oculos.

AD LEONARDVM PRATVM.

FLOREM nomen habet, pratum cognognomen, vtrumq;
Aptum iure illi dixeris impoſitum;
Nāq; nitens fama, genere, & florentibus auſis
Fulget & in Pratis, floret & in Patria.

AD

AD CAESAREM PRATVM.

EXTARENT iterum ſi auratæ vellera pellis,
Finderet & dubium prima carina mare,
Fortior Aeſonide Colchos tu primus adires
Cæſar, & Heroum gloria prima fores;
Ipſe etenim ſuperare potes cũcta ardua, virtus
Vrget, & immenſum dat tibi robur honos.
Et quando te ipſum vincis iuuenilibus annis,
Hoc vno maior Cæſare Cæſar eris.

DE PVLCHRITVDINE

Vrbis Neapoli.

PARTHENOPES læti colles, & amœna vireta,
Et fortunato tecta locata ſitu
Si nunc Roma vetus veſtros ſpectaret honores,
Admirata decus, talia voce daret,
Gloria quæ nã hæc eſt? ſeptem vos cedite colles:
Nil orbe in toto pulchrius Orbis habet.

AD VRBEM GALLIPOLIM.

QVAE vallata mari mediјs Vrbs ſida decorum
Erigis è ſcopulis delicioſa caput.
Condita diuino cenſeris munere, tantum
Haud fuit humanæ dexteritatis opus.
Credibile eſt igitur magnæ poſt funera Troiæ
Tàm bellè æquoreum te potuiſſe Deum.

DE GABRIELE ZINANO.

FLORENTI ingenio, & linguæ mune-
re clarus
Quæ Zinanus agat diſcere nunquid amas?
Aut docet imperij normam verſatus in arte
Palladia, & dignum Principe condit opus;
Aut dũ Theſpiadum ſacris ſpatiatur in hortis
Carminibus doctè ludit amabilibus.

AD FRANCISCVM PYRRONVM Medicum, & Philoſophum.

BIS me viciſti, fateor, Franciſce medentũ
Et decus, & columen, biſq; ligas laqueo.
Aggrederis primum donis poſt gratior inſtas,
Et tollis medica gutturis arte malum.
Sit, licet, Herculeus, nodum tamen explico, vt vnus
Non intermiſſus cuncta rependat Amor.

AD NATALITIVM MONTESANVM.

SI quæ alibi fuerant olim Natalis amœni
In te ſunt hodie ſacræ Heliconis aquæ,
Debemus cuncti (liceat modo vera fateri)
Te pro Monteſano dicere Monteſacrum.

AD SCIPIONEM SPINAM Lupienſ. Epiſcopum.

ADRIACAS propè triſtis aquas grex arida lentè
Pauit in incultis gramina nata rubis;
Namq; bonus longo ſenio confectus Amintas
Vix poterat tenui voce fugare lupos.
Iunior at poſtquam cuſtos ſucceſſit, & ægras
Syluarum Tyrſis gloria viſit oues,
Gaudia balatu læti cum matribus agni
Teſtantes, paſti lacte fuere nouo.
Et rupes, ſiluæq; ſimul vaga flumina plauſu
Ingenti Tyrſim ter ſonuere ſuum.

AD EVNDEM.

RAMOSA Alpino fundata cacumine quercus
Ventoſo Boreæ flamine non rapitur.
Muſcoſus rauca ſcopulus madefactus ab vnda
Permanet, & maius tempore robur habet;
Quid mirum, niſi mutor amans bone Scipio, cùm ſim
Fortior & quercu, firmior & ſcopulo?

IN VENEREM MARMOREAM.

TAM bellè ſculptos niueo de marmore vultus
Qui nunc blanda venus mente carere putẽ?
Ingenioſa nimis fabri manus, æmula quando
Naturæ viuam reddidit effigiem.
Motus abeſt tantùm, namq; hunc tibi pulcher Adonis
Eripuit, rapuit quando oculis oculos.

AD LVNAM.

AMPLEXVS ingrata meos cur Luna retardas?
I nunc, & radios turbida conde tuos.
Furtiui in tenebris melius cælantur amores,
Gaudet ſecreto delicioſa Venus.
At tu Luna faue, ò faueas, nè dulcia differ
Gaudia, quæ tota nocte parauit Amor.
Curre, precor, curſuq; tibi ſuccurrat in iſto
Optaſti quoties Endymiona tuum.

AD MONTEM VESEVVM.

ASPICE *nunc eadem quàm nos elate Veſeue*
Fortuna effingat conditione pares.
Aerijs ſublimis apex te nubibus infert,
Me ſuperis æquat ſpes animoſa plagis.
Tu culta effuſis humectas imbribus, ipſe
Qui venit ex oculis tingo liquore genas.
Vertice tu fumum, gemitus ego pectore duco,
Turbine te Boreas, me face vexat Amor.
Hoc melior tua ſors, ignẽ vomis, at meus intus
Aeſtuat, & miſerè cor animumq; vorat.



AD MANVM ISABELLAE.

INVIDA luminibus faciem quid dextera velas?
Velas? ah Diuæ num decet ora tegi?
Quæ te nunc ſuadet rabies liuoris acerbi,
Vt cæles orbis quidquid honoris habet?
Ah mihi ne occulta diuinæ frontis honorem
Ah mihi ne tantas eripe delicias;
Dumq; ipſi ſpectanda Ioui ſublimis imago
Se ſe offert, oculis fac ſit aperta meis;
Sic tu perpetuo niteas candore, nec vnquam
Deformet digitos turgida vena tuos.

DE EADEM ISABELLA.

O *Qualem video faciem; deſcendit ab arce*
Quæ nunc ætherea? nũ Cytherea venit?
Si vultum inſpicio, venus eſt, ſi lumina, ridet
Gratia, ſi inceſſum, regia Iuno patet.
Eſt nè Aurora, genas tingat quòd purpura molles,
An Pallas, culto dùm mouet ora ſono?
Hæc illa eſt oculis quæ incendia miſcet Eliſa:
Sic quinque effigies exprimit vna Deas.

DE SECTIONE VENAE ISABELLAE

AH dolor, & potis es dominæ manus impia ferro
Lædere vulnifico brachia pulchra meæ?
Ah quid agis? ne cruda feri, medicamine tali
Te cauſam certæ non decet eſſe necis;
Namq; illi venam pungis, mihi pectus, & ater
Ex illa ſanguis, defluit ex me anima.
Faſciolis tamen in nitidis habet illa medelam,
Spes vitæ extincto non datur vlla mihi.

AD ROSAM.

CORDIS planta mei Roſa bellula, cuius amore
Condita flagrabunt Oſſa vel in tumulo;
Creuiſti ſat culta mihi, ſuſpiria, ventus,
Sol, ignis, lacrymæ lympha fuere meæ.
Te folijs viridem, molli te flore rubentem
Hinc Amor inſertum legit, & indè Venus.
Nunc ingrata tui cultorem deſeris ægrum,
Deſeris? ah ſubito ſic mea vota cadunt?
Sic mea vota cadunt, triſti dum corde repentè
Purpura grata fugit, noxia ſpina manet.

AD EANDEM.

TE Roſa quum vidit primum mea pupula, nullam
Pectore duritiem rebar ineſſe tuo;
Aſt vbi ſum fruſtra conatus prodere flammas,
Cerno quod inuicto cor adamante premas.
Deſiſtam? non ſuadet Amor; num perſequar? aſper
Me rigor exanimat, neſcio nunc quid agam.
Expectas num ſæua necem? pete viſcera ferro,
Fors vbi nulla quies, mors erit vna quies.

AD PORTIAM SCALIONAM.

ES venus, attente niueæ ſi frontis honorem
Specto, ſi geſtum Portia vera Charis.
Si quæ pingis acu bellè velamina, rurſus
Inſpicio, tunc te Pallada iurè probas,
Quis te delapſam non iuret ab æthere? ſola es
Pallas acu, geſtu Gratia, fronte Venus.

Digitized by Google

NVPER vtráq; manu ſplẽdenti egreſſa lauacro
Stringebat madidã ſpuma Iſabella comam;
Hãc vt vidit Amor deceptus imagine matrem
Credidit, & ſalue dixit, amata Parens;
Illa fugit; deluſus Amor miratur, & inquit,
Egrediens genitrix æquore talis erat.

DE ARANEO QVI PVELLAM MOMORDERAT.

CVM magis in medio rapidus Sol æſtuat orbe
Tegmine ſub mori fortè puella ſedet;
Dum vento niueos exponit candida vultus,
Flauas ſparſa comas & pede nuda vago,
Lenta cupidineos paullatim claudit ocellos,
Atq; artus molli victa ſopore leuat;
Cum ſubter veſtem ſe ſe abdit araneus, ille
Circuit, & roſei gaudet odore loci.
Et modo ſtat prudēs, modò velox exit & intrat
Attentè oblatas nunc meditatur opes.
Abſtinet à morſu naturæ oblitus, & inſons
In medio geſtit nectare dulcè mori,
At vix ſe innocuum præſtat, cū flagrat amore,
Et quæ tractarat brachia mordet amans.
Sentit, & exclamat virgo, poſt ſaucia fugit,
Atq; iterat voces exanimata ſuas.
Ille iter accelerat motu concuſſus, & vndè
Mella habet, inuitus negra venena vomit.
Bella puella ſono quamuis expellere peſtem
Optes, & doleas irrequieta nimis,
Excuſes animal, namq; hoc, quod fecit, vbiq;
Feciſſent homines, ſi licuiſſet, opus.

AD VRBEM HYDRVNTVM de Marcello Aquauiua.

HYDRVNTI herboſi colles, & opaca vireta
Arboribus pulchrè conſita pomiferis.
Seù vacuo Boreas furibundus in aere ſpirat,
Siuè æſtu arentes Syrius vrit agros.
Floribus & pomis ſpirantia ſemper, odoris
Vincetis quicqnid terra Orientis habet.
Veſtro etenim pluuius fœcundis imbribus æther
Præbet Aquæuiuæ grata alimenta ſolo.
Fortunata nimis tali ſub Principe tellus:
Tu decus Italiæ florida ſola tenes.

LAVS DEO.

Google

FRANCISCI VERRIERII
ad Peregrinum Scardinum.

NITERIS heu quorſum tanto Scardine labore
Largus & in piſces aurea fila iacis?
Ingens ſit iactura, voret ſi vincula pontus,
Quid niſi piſciculi, præda futura, leues?
Me linguæ Graiæq; facis Latiæq; parentem,
Arbitrio vates dum cupis eſſe tuo;
Deſine diuitias parui ſpe perdere lucri,
Et quod es ingenio viue poeta tuo.

FRANCISCI PYRRHONII.

TE ne canam mutas agito qui inglorius artes?
I decus, i noſtrum: te tua fama canit.

IVLII CAESARIS CAPACCI.

MVLTIPLICES paſſim fœtus, dū carmina ſcribis
Peruigil in lucem, prouidus arte paris.
Felices animæ, numeris quas candida vatis
Mens capit, & numeris garrula fama canit.

MARII ZAZERINI.

SI velit alta, lyræ ſonitu, connectere cantu
Scardineo Phœbus proferat ore ſonos.
Si chorus Aonidum fidibus cupit addere verſus
Carmine Scardineo nil melius poterit;
Orpheus anteferas tantum modulatur, at iſte
Ante hominũ cœtus dum canit, ille fera eſt

PAVLI PORTARELLI.

VERONA argutum tollat ſuper aſtra Catullum,
Et vatem iactet Bilbilis alta ſuum
Scilicet vt feriant ſenſus, animoſq; virorum,
Hic varijs ſalibus, felle vel ille iocis.
Ora Salentini tractus ſe iactet alumno
Scardino, cuius nectar ab ore fluit.
Non alius magis oblectat, magis afficit, aptis
Dulcibus ac numeris, innumeriſq; modis.
Miremur veteres: mirentur poſtera ſecla
Secula quos etiam noſtra tulere viros.

CAROLI PINTI HER. SAL.

SI liber inſigni titulo non præditus ires,
Te priſca rerer nos meruiſſe manu.
At quia Scardinus ſtudio te ſcripſit & arte:
Non opus eſt Naſo, non opus ille Maro eſt.

Κορτησίου τοῦ Βρανᾶ
Εἰς Πελεγρῖνον τὸν Σκαρδῖνον
ποιητὴν ἄριστον;

Αἰὼν πάντα φέρει καὶ τοὔμπαλι πάντ᾽ ἀφανίζει,
αἰὼν κῦδος ἄγει, κἄλλο τ᾽ ἀνωνυμίην
Οὔνομα ἀλλά τεόν πέλεν ἄφθιτον, ὦ μελίφωνε,
ζήσεις γάρ γλυκεραῖς ταῖσδ᾽ ἐνὶ ταῖς σελίσιν.

Ε'ις τον ἀυτόν.

Ι'Μετέρην γενεὴν πανυπέρτατοι, ἔργα τε
κεδρά
Σκαρδῖνες πινυτός γράψεν ἐπιςαμένος.
Η"θεα, σωφροσύνην ἐρατεινήν, μειλιχίην τε,
καὶ σοφίην ζαθέην ἠδ' ἀγαροφροσυνην.
Ε'υγνωμον τό πόνημα, τί γαρ πλέον οἶδεν
ἀοιδός
δοῦν', ἢ τοῖς ἀγαθοῖς μνῆς ἴν ἀειδομένην;

FINIS.

Sis die Penelope, sis mihi nocte

Impr. Alex. Grat. Vic. Gen. Capit. Neap.

M. Cherub. Veron. Auguſt. Theol. Cur. Archiepiſc. Neap. vidit.

D. Gabriel Lottherius Dep. vidit. Reg. f. 25.

Digitized by Google

BIBLIO
VITT